

D A G O B E R T I R E G I S 105

itaque rex, frater eius Aurelianus veniens, filium ipsius de sancto lauacro excepit. Namque dum eundem puerum venerabilis vir, Amandus Traiectensium vrbis episcopus benediceret, eumque catechumenum faceret, finitaque oratione, nemo ex exercitu tantæ multitudinis respondisset Amen, aperuit Dominus os pueri, qui non amplius quam quadraginta dies a natiuitate habebat, atque audientibus cunctis, respondit Amen. (h) Statimque eum regenerans sanctus pontifex sacro baptisinate, impositoque nomine Sigeberto, reges & vtrorumque exercitum magno dominus repleuit gaudio, maxime in admirationem huius signi. Igitur Ega (i) quidam de primoribus, cum cæteris Neustrasiis consilio Dagoberti erat adsiduus. Eo anno legati Dagoberti regis, quos ad Eraclium imperatorem direxerat, nominibus, Seruatus & Paternus ad eum reuertuntur, nuntiantes pacem se cum Eraclio firmasse.

(h) Amen ] *Commentum monachale, quod nimis in miraculis credulus Aimoinus etiam confirmat.*

(i) Ega ] *Eadem habet Fredegarius cap. LXII & Aimoinus c. l. Alius tamen eius familiaris ex Austrasiis Pipinus, qui oderat improbos nec se miscebat flagitiosis, ut ait Aimoinus.*

G 5

CAPVT